



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLIX. Argumentum. Disputatur famosa Quæstio, an dentur Dæmones Incubi, vel Succubi? & an hi possint generare Monstra vel cubando cum mulieribus, vel succumbendo cum Viris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

finorum peperit filium villosum, & in speciem Ursi unguis armatum, ex aspectu imaginum Ursorum, quæ in dicta domo erant depictæ. Lycosten. Anno 1282. Item Anno 1599. Matrona aliquin honesta Venetiis edidit gemellos ita conjunctos, ut ægrè sexus discerni posset. Pudendi partus pudenda causa fuit, nempe propudiosa imago suspensa in thalamo, qua complexus sponsum exprimebatur. Stengelius de *Monstr. cap. 5. §. 13.* Bononiæ Uxor pharmacopœa gravis, cum sæpè angues excoriatis observasset, ac vehementius appetivisset, puerum anguino capite peperit; ut ex Aldrophando refert Schottus d. lib. 5. cap. 30. §. 3. *Vers. Dubium non est.* Qui §. 1. etiam narrat se legisse Historiam memorabilem mulieris gravidæ, quæ postquam vidisset in erecto pegmate amputari capita nonnullorum reorum, paulo post peperit infantem Acephalum. Alia refert exempla idem Schottus d. lib. 5. cap. 28. §. 4. concludens cum his verbis Divi Iuliani: *Hæc foeminarum est natura ut quales perspexerint, si vè mente cogitaverint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, ralem sobolem procreent. Etenim Anima in usu Venereo formas extrinsecas intus transmittit, earumque satiata typis, rapit species earum in propriam qualitatem.* Ex hac causa Monstra nascentia, cum sint homines informati rationali anima; dubium esse non potest, quod sint baptizanda. Verum ad quem finem permittat Deus nasci monstra, nimis alta Quæstio est. Nihilominus sit,

DUBIUM XIV.

An monstra ad Prasagium, vel punitionem malorum nascantur?

Diximus monstrorum nascentium aliam esse causam supernaturalem, & hæc in eo consistit, quod ipsa Monstra sint signa Dei, volentis incautos mortalium animos monere, aut sanare. Non mie later, id negare Fortunium Licetum d. lib. 1. de *Monstris cap. 3. & cap. 2.* ex Philosophicis rationibus ibi per eum consideratis. Ceterum sicut per somnia, per Prophetarum oracula, per varia prodigia; ita & per monstra, atque monstrosa præmonere solet Deus, non tam probos, & cultui suo addictos; sed improbos quoque; nec singulos tantum homines, sed integras etiam nationes, & gentes, ut ratiocinatur Schottus d. lib. 5. cap. 29. ubi exempla plurima adducit, & illa præcipuè, anno nimirum 578. quo puer in Thracia natus est sine brachiis, & ab umbilico deinceps in pisces desinens. Item canis capite Leonino, & alius fœtus quadrupes; quibus monstris infelix Mahometi adventus, qui terra marique dominari cœpit, demonstratus fuit. Anno 914. fœtus editus est in lucem canino capite, significans mores Christianorum illius temporis, se mutuis moribus lacerantium. Circa Annum 1389. natus est puellus quadrimanus, & quadrupes, qui portentissime dicitur Schisma Benedicti XIII. antea Petrus de Luna nominatus Anno 1512. Monstrum natum Ravennæ capite cornuto, pede rapacis avis, genu oculato, alis loco brachiorum instructum, & sexu utroque deforme, excepit bellum funestum inter Julium II. Pontificem cum universa penè Italia, & Ludovicum XII. Galliarum Regem.

Sunt etiam supplicia, & punitiones malorum monstra ipsa, quæ gignuntur; licet enim secundum Philosophos in eis natura erret, & à præstituto sibi

sine aberret, nihilominus Deus ubique, & semper certo fine agit, secundum abditissimas consilii sui rationes. Sint aliqua exempla. Anno 998. referente Cardin. Baronio Robertus Galliarum Rex incestuosas contraxit nuptias cum muliere sibi cognitionis jure propinqua, quæ illi peperit filium habentem collum, & caput anserinum. Anno 1575. maritus quidam malè tractans uxorem suam prægnantem, quadam die illi dixit iratus; Utiq; tu gestas dæmonem, quem ego gladio confodiam. Non longè post Uxor filium peperit, dimidia inferiori corporis parte bene formata; sed superiori horrida, & terra cum cornibus, quales vidimus dæmones pingi. Bagatta in *admir. orb. Christ. rom. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2. num. 8.* Hic rememoranda monstra caudata in punitionem Anglorum, à quibus contempti fuerunt Sancti Archiepiscopi Augustinus, & Thomas, ut in dubio nono. Alia legantur in Schotto d. lib. 5. cap. 29. §. 2. & alia apud Anton. Masinum cap. 27. in *Schola Christiani pag. 240. & 241.* Sed illud supra omnia admirandum, quod quidam Ludovicus Roosel, ridens dolores Uxoris suæ parturientis, quasi eos simularet, ex imprecatione Uxoris, & ultione divina diu dolorem maximum in femore dextero pertulit, & post novem menses inde excisus fuit infans masculus, qui nomen Patris sortitus est. P. Bertrand. *Lot. tract. 15. Cas. Belg. & Schottus d. lib. 5. cap. 3.* Ex his deducamus, Deum summè bonum, simulque justum aliquando erga homines agere ut Medicum ad sanitatem, aliquando ut judicem ad pœnam.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio, an dentur dæmones Incubi, vel Succubi, & an hi possint generare Monstra, vel cubando cum mulieribus, vel succumbendo cum Viris?

SUMMARIUM.

- 1 Dæmones incubi, aut succubi an generent Monstra?
- 2 Dæmones incubos, vel succubos non dari, opinio DD.
- 3 Quod dentur, verior opinio DD.
- 4 Exempla dæmonum incuborum cum mulieribus.
- 5 Generare an possit diabolus incubus cum muliere?
- 6 Dæmonis incubi ope procreari an baptizandi?
- 7 Dæmonem numquam succubum in vitio nefando.
- 8 Homo ex dæmone succubo nasci non potest.

Curiosum autem super alia omnia hucusque examinata est sequens.

DUBIUM XV.

An ex Dæmone incubo, & muliere succuba, vel Viro incubo, & Dæmone succubo generetur Monstrum?

Tamet si dæmones non sint corporei, nec vim naturalem habeant generandi prolem; nihilominus quæstio antiqua, ac celebris est, an dæmones possint, & soleant in assumpto corpore, & in speciem viri configurato commisceri cum viris? Quod

Quod est querere, an dentur daemones incubi, & succubi; incubus enim daemon est, qui sub specie virili veniens incubat feminae; Succubus autem dicitur, qui sub muliebri figura succubans viro, muliebria patitur.

Et quod daemones officium viri, vel feminae in coeundo exercere non possint, plures Doctores opinati sunt apud Torreblancam lib. 2. cap. 30. & Eugubinum de Perenni Philosoph. lib. 8. cap. 26. ac alii multi, quos citat Delrius *Disquisit. Magic. lib. 2. quest. 15.* & hanc sententiam negativam tuetur Joan. Wierius lib. 3. de Praestigiis demonum a cap. 18. & novissime Pignatel. tom. 4. consult. 101. num. 2. & 3.

Porro affirmativam sententiam tam multi, & graves tuentur Auctores, ut sine pertinacia nota ab illa discedi non posse videatur; nam in ea est S. Thom. in 2. sent. d. 8. & in quest. disputatis q. 6. art. 8. de Miraculis Item 1. p. q. 51. art. 3. & 2. q. 96. art. 3. Card. Toletus in summa lib. 4. cap. 15. Alphonsus à Castro de Justa Haeret. punit. lib. 1. cap. 16. Anan. lib. 4. de Natura demonum. Sprenger. in Malleo part. 1. q. 4. & p. 2. q. 1. c. 4. & q. 2. cap. 7. Vallesius de Sacr. Philosoph. cap. 8 Delrius d. lib. 2. q. 15. Pierius lib. 8. in Genes. disp. 3. Tostatus in Genes. cap. 6. q. 6. Licetus de Monstris d. lib. 2. cap. 90. Schottus in sua Phys. Curios. lib. 1. cap. 21. ubi refert S. Augustinum hanc eandem opinionem tenentem lib. 15. de Civit. Dei cap. 23.

A qua quidem opinione non esse recedendum, comprobant exempla plurima, quae passim leguntur in Historiis Sacris, & apud pios Auctores de commercio carnali, & conjugali copula inter daemones, & mulierem; ac inter Viros cum daemone, quorum aliqua refert idem Pignatellus d. tom. 4. consult. 101. n. 4. & Schottus cit. lib. 1. cap. 21. quibus ego addo alterum, quod legi in vita S. Ignatii Fundatoris Soc. Jesu conscripta à P. Daniele Bartoli lib. 5. num. 12. scilicet fuisse mulierem fruentem daemone incubo, quae auditis Patribus Societatis Jesu Millionariis penitentiam suadentibus, & divinam Misericordiam magnificantibus, se disposuit ad confitenda peccata sua; at metuens accessum daemones incubi, munita imagine S. Ignatii impressa papyro, & ejus consilia suffragio, post multas, & pergraves daemones tentationes, fraudes, & violentias, meruit ab ejus altu liberari.

Major difficultas est, an ex daemone incubo, & muliere succuba generetur foetus, quem Monstruosum deinde enitatur mulier? Et dari generationem, scribit Tostatus q. 6. in c. 6. Gen. his Verbis: Daemones semen fundere nequeunt, cum corporei non sint, nec habeant unde semen decidant; sed ex viris acceptum ipsi mulieribus infundunt. Duo autem sunt eorum genera. Aliquando enim Daemon succubus est, aliquando incubus, prius tamen succubus est quam incubus. Nam cum viri nocturno semine polluntur, ibi Daemon succubus, corpore ex aere in speciem muliebrem figurato, semen accipit, servatque, ne spiritus ejus exhalatur, quod sit aptum generationi: deinde sexu transformato, induens speciem viri, virile semen quod acceperat, in muliebrem uterum inserit. Quam rem melius declarat, & faciliorem demonstrat Delrius d. lib. 2. Disquis. Magic. q. 15. his verbis: Potest Diabolus semen aliunde acceptum (v. g. in ea, quae somniant viro contingit, illusionem) deferre, & qua est agilitate, & naturalium rerum peritia, calorem prothificum in semine, quantumvis ille subtilis, & aereus sit, ac facile dissipabilis conservare, & illud denique

quo momento mulier ad concipiendum optime disposita (quod eum non latet) tum illud Matrivi ita infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere, & muliebri semini commiscere. Igitur dari potest generatio inter daemones incubum, & mulierem succubam ex infusione seminis humani, modo praedito, quod etiam admittit Licetus de Monstris d. lib. 2. cap. 73. cap. 88. & cap. 90. & opinati sunt gravissimi Theologi, & DD. (praeter supra relatos) quos allegat Schot. d. lib. 1. cap. 22. ubi refert plurima exempla; quibus ego addo Bagattam in Admir. Orb. Christ. tom. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2. num. 10. Ex Ex Boethio de Reb. Scotor. lib. 8. sic scribentem: Cumpuella quadam apud Scotos in Marrea Regione, in nefandum cum Damone incidisset consuetudinem, concepissetque foetum, tempore statuto enixa est monstrum undequaque foedum aspectu, quale nusquam visum est.

Ceterum ipse Schottus d. lib. 1. cap. 22. ait, probabilius esse, ex daemones incubi commixtione cum mulieribus, nasci non posse humanam prolem. S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. nihil ausus est definire de hac re; de qua etiam Pererius lib. 8. in Genes. ait, se semper dubitare; prout dubii remanent Ulricus Molitor, Nicolaus Remigius, Vincentius Lucidus, & alii relati ab eodem Scotto d. lib. 1. cap. 22. ubi ad exempla contraria respondet, ea esse suspecta, & fabulosa; & si partus humani verè suscepti fuerint ex daemone incubo, supposititios, & aliunde habitos esse credendum. Ego difficultatem habeo in admittenda generatione ex daemone incubo ex ea ratione, quod scilicet virtus generativa consistit in immediata effusione seminis humani in matricem mulieris quam facit homo cum ea copulatus, & in instantanea receptione cum suis spiritibus ejusdem seminis ab eadem matrice feminea; adeo ut si extra vas femineum fiat humani seminis effusio, statim evanescat generativa virtus & facultas; & quantumvis daemones sit sollicitus, velox, atque promptus ad recipiendum semen humanum à viro se corrumpente, vel molitorem agente, & illud transferendum in vulvum nefandae mulieris, nihilominus erit semen illud semen inane & ad generandum absque virtute, & facultate; quia nulla penitus interposita mora (ut dixi) debet effundi, & recipi; ac à matrice tanquam spongia assumi, complecti, & conservari suis spiritibus, & virtutibus prolificis. Hanc meam opinionem timentur Contimbricien. lib. 1. de generat. cap. 4. q. 10. artic. 3. Ulricus molitor lib. de tybon. Mul. cap. 7. & 10. & Bogueus lib. de sortileg. cap. 14.

Concludendum est itaque dari certam conjunctionem carnalem daemones incubi cum muliere ex auctoritate S. Thomae, & multorum Doctorum, atque exemplorum; incertam autem esse generationem inter eosdem; quae si aliquando contingat, & non constet, hominem esse rationali anima praeditum, sed potius monstrum fuisse generatum, non nisi cum magna consideratione erit baptizandum, & sub conditione, si sis homo rationalis; ex traditis per DD. apud eundem Scottum d. lib. 1. cap. 22. Vers. Dico Secundo lib. 3. cap. 8. §. 6. Vers. Puto itaque. & lib. 5. cap. 30. §. 3. in fine.

Quod si loquamur de homine incubo, & de daemone succubo, vicem mulieris agente, & pro uxore se gerente (nam superbum, etiam immundissimum daemones in Sodomitica Venere nunquam voluisse esse patientem, & succubum observat Segnerius in Con-

in Confessario instructo cap. de luxuria.) absolute tenendum est, nunquam fuisse natam, nec nasci posse veram prolem humanam; plura enim desiderantur in conceptione, fetus formatione, ejus portatione, nutritione, & coagmentatione, quæ demon quantumvis sapiens præstare minime valet; nimis enim mirabilis est Architectura, & organizatio corporis humani, quam componit natura, Dei opæ, sapientia, & bonitate assistente; quod si aliquando dentur exempla de natis ex Matre dæmone succuba, eosdem dicendum est supposititios fuisse, & ab aliqua muliere parturiente ablatis, vel fictitios, & eumentos ex aliquo alio dæmone se puerulum confingente, ut bene notant Torreblanca lib. 2. q. 30. Seratius in cap. 6. Tobie q. 4. Delrius lib. 2. Disq. Magic. q. 15. & Scottus d. lib. 1. cap. 22. Vers. Dicoterrid.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Tria curiosa dubia resolvuntur: An Pater bellua, & Mater mulier simul generent? Contra, An Vir Pater cum Matre bellua? Et an feræ diversarum specierum simul coeunt? Ulterius an defectus Parentum transmittantur in filios?

SUMMARIUM.

- 1 Bellua incubans an generet cum muliere succuba?
- 2 Danorum Regum origo.
- 3 Homo nasci non potest à Patre bellua, & muliere Matre.
- 4 An ex Patre Homine, & Matre bellua? Exemplum.
- 5 Rationes pro negativa.
- 6 Defectus naturales genitorum an transmittantur in filios?
- 7 Speciei diversæ si feræ simul coeant, quid generent?

Postquam tractavimus, an ex magna bellua Diabolo monstra possint generari? videamus quid ex aliis belluis irrationabilibus. Ideo proponitur.

DUBIUM XVI.

An ex Bellua incubans, & Muliere succuba nascatur Monstrum.

Negat Galenus lib. de Usu part. 3, tenens non esse possibile, quod ex feminibus diversæ speciei fiat generatio; cui adherent Conimbricenses Comment in lib. 2. Physic. Arist. cap. 9. qu. 5. art. 3. & de hoc dubio remanet Cardan. lib. 14. de Variet. rer. cap. 77. in fine nimis, ut ait, dissidentibus inter se genitalibus, cum formativis, & pariendi tempore.

Nihilominus affirmare nos cogunt plura exempla: nam Grammaticus lib. 10. Arist. Danica; item Joannes Upsalien. & Olaus Magnus in Hist. Septent. scribunt, Reges Danorum recognoscere suam progeniem ab Urso, à quo compressa fuit Virgo pulcherrima, & ex eo genitus puer, fortissimus robore; qui factus vir, & uxore accepta genuit Trugillum Spragelex eximium Ducem: hic deinde Ultonem, Ulso postea Svenum, qui Danica Rex fuit. Nierimberg. lib. 5. Hist. Natur. cap. 6. prodidit, in Regno Pegu eam nationem docere originem à Cane, qui rem habuit cum puella naufraga. In Hispania esse familiam appellatam De Marinis, quam

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

dicunt, duxisse originem à Tritone concumbente cum adolescentula, & nostris penè temporibus, Feminam deportatam ad Insulas lacertarum quoddam liberos à Simio sustulisse. Historia pariter referunt, Attilam Hunnorum Regem ortum ex muliere constuprata à Cane Plura alia novissima exempla de Similibus masculis copulam carnalem habentibus cum mulieribus intra confines Magni Regis Mogoli, & cum iisdem filios generantibus narrat Gemellius nel Giro del Mondo part. 3. lib. 2. cap. 1. pag. 142. & seqq. His adde Fortunium Licetum d. lib. 2. de Monstris, cap. 72. post medium, ubi ex fera maculo posse mulierem concipere, & parere vel puerum hominem, vel totam feram, vel monstrum ex membris humanis, & ferinis compositum, juxta partes seminum mulieris, & feræ magis spirituosas; nec non imaginativam utriusque coeuntis.

In hoc dubio mihi videtur adhaerendum magis negativæ opinioni, & dicendum, quod si coeat animal brutum cum muliere, nequaquam gigni posse hominem; certum est enim quod virtus generandi hominem stat in Semine Viri, quidquid sit de semine muliebri, quod multi Moraliste volunt non esse necessarium ad generationem. Diana part. 3. tract. 5. resol. 15. requiescente in Coordinato tom. 2. tract. 6. ref. 237. Igitur solum semen muliebri non potest generare hominem, & eò minus commixtum cum semine bruti animalis, ut tenet Scottus in Physic. Cur d. lib. 3. cap. 5. §. 3. Vers. Secundo, ex Torreblanca. & Delrio ibi citatis. Ad exempla verò supra relata respondet, vel ea esse fabulosa, vel mistica, hoc est, ex fortitudine vel crudelitate, seu ira primi Patris Regum Danorum, cum fuisse appellatum Ursum, quemadmodum Atrilam ob astutiam, & vastitatem descriptum fuisse cum facie canina, & generatū à Cane. Vel potius, (quod notatum est dignū) dicere possumus, eatendū mulieres compressas carnaliter ab aliquo bruto concepit, & peperit hominem; quia, ante copulam brutalem, ipsæ mulieres coierant cum viro, & semen humanum in utero receperant; ut opiniones contrarias conciliando advertit Scottus d. lib. 5. cap. 30. §. 3. Vers. Accedit nefaria: ubi subdit, quod semper in his casibus monstra effunduntur, in quorum baptismo Parochi esse debent attenti in dignoscendo, an potiantur anima rationali. Hinc Gemellius ubi supra pag. 144. hæc notat. Egli si è ben anche noto, come essendo nel Brasile una Donna stata conosciuta da un Simione, è divenuta gravida à suo tempo partori un fanciullo con tutte le membra humane, ma pelose; e che quantunque matolo faceva quando se gli diceva. Sopra questo parto hebbero gran dispute i Padri Domenicani, & i Gesuiti, se dar se gli dovesse il Battesimo, o no? E conchiusero non esserne capace. E contra vetò non minus curiosum, ac difficile est diffinire, prout requirit sequens.

DUBIUM XVII.

An ex Viro incubo, & bellua succuba oriatur Monstrum?

Affirmativam opinionem astruunt ea, quæ dicta sunt suprà de Hippocentauris, gentis ex copula Virorum cum equabus Magnetis; & quod asserunt Plutarchus de infante ei oblato, nato ex equa, imprægnata ab Agasione. Plinius Cratem Pastorem ex capella sustulisse filiam, homini, & capræ similem Nierimberg. lib. 5. Hist. Nat. cap. 6. Affirmam peperisse filiam humana effigie formosissimam. Item ab equa partu editam filiam Hipponam nomine; & apud Belgas vixisse virum satis pium à

L

vacca